



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

§. 4. Fundamenta tertiæ sententiæ, & quæstionis resolutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

celos admittunt distinctos, cum enim non possit dari Epicyclus communis duplici celo, Planetæ omnes, qui Epicycli beneficio Solem circumuehant, celum cum illo commune habere debent. Ob hanc rationem doctè notat Noſter Eusebius lib. 6. sup. Philosophiæ, quinque tantum stellarum sphaeras esse admittendas, si res, aut mente separentur. Prima Lunæ est tribuenda; secunda Soli, in qua Mercurius, Venus, & Mars continebuntur, quia illorum motibus cum motu Solis spatium est commune: tertia sphaera danda est Ioui, quarta Saturno: quinta stellis inerrantibus. Doctrinam hanc admittit Tannerus, qui asserit Celum solis commune esse futurum Mercurio, & Veneri, si hi Planetæ Solem circumuehant.

§. IV.

Fundamenta tertia sententia, quæstionisque resolutio.

24 Tertia sententia Planetarum celos fluidos esse dicebat & inerrantium celum solidum esse propugnabat. Prioris partis fundamenta sunt, quæ adduximus pro secunda sententia, quorum præcipua, & quæ difficultatem ingerunt tantum de errorum celis procedunt, non verò de inerrantium stellarum celo. Partis secundæ fundamentum desumitur ex testimoniis scripturæ, & Patrum, quæ absque alicuius inuidia rectè poterunt explicari de celo stellato, quod firmamentum specialiter dici solet, si prædictis testimoniis vera soliditas, quæ fluxibilitati opponitur, & non tantum corporum perseverantia, eiusque proprietatum firmitas, & constantia significetur. Demum potissimum fundamentum esse potuit: facilius omnibus posse defendi, dat enim Phænomenis, & Astronomorum rationibus id, quod immediatè possunt extorquere, videlicet celos Planetarum fluidos esse, & authoritati referuat soliditatem celi stellati, de quo & empyreo simul poterunt explicari omnia testimonia, quibus soliditas celorum firmamentive intendatur euinci.

25 Explicatis iam fundamentis omnium sententiarum, adhibitisque solutionibus, quibus argumentorum vis declinari poterit faciliè cuique erit, quam maluerit eligere. Si verò meus aperiendus est animus multum feror in sententiam, quæ stellatos celos liquidos esse defendit, vix enim astronomice observationes aliter possunt componi, & non sine multis Epicyclis, quibus soliditas celi intersecetur. Demum quia si horum ope celorum soliditatem velimus defendere, tenebimur recedere à communi sententia, quæ septem Planetis septem distinctos designat orbes, & in orbe Solis collocare Mercurium, Venerem, & Martem, quia liberum est his Planetis spatium Solis percurrere, & modò supra Solem, & modò infra eundem apparere. Quæ sententia omni authoritate destituta est, qui enim celos multiplicat, cuiusque ex septem Planetis distinctum celum designant. Tutius ergo est Planetarum celum fluidum esse cum communi sententia, hisque temporibus valde plausibili defendere, quam soliditate celi propugnata in singularem illam prolabi, quæ Lunæ, Ioui, & Saturno tres celos adscribit, aliudque Soli impertitur, quod Mercurium, Venerem, & Martem distinctis Epicyclis insidentes recipiat. Stellarum inerrantium celum fluidum etiam poterit constitui, licet enim non adeo Phænomena extorqueant, nonnulla id suadent, cū etiam in eodem celo stellæ aliæ nouæ ad tēpus apparuerint. Neque testimonia Scripturæ aut Patrum oppositum suadent, de de his enim quæ ad scripturam pertinent ostendi ex mente nobilium sacri textus interpretum, non agere de celorum soliditate, de qua præsens instituitur disputatio, sed de perseverantia, constantia, & firmitate celorum, in quo sensu sunt etiam explicanda Patrum testimonia, si aliqua sunt, quæ contra hanc sententiam pugnare videantur, adducendæque sunt alia quàm plura, quæ eam efficacius propugnant.

PUNCTUM IV.

De celorum numero, & motu.

1 Ari vnum supremum celum, quod Emphyreum ob illius nimiam claritatem appellatur, quod Beatorum gloria est quasi Theatrum, & Beatorum curia, concors defendit Patrum, ac Theologorum cœtus: ita

tenent Basilii, Damasceni, D. Clemens, Theodoretus, Hilarius, Diodorus, Athanasius, Chrysostomus, & Theophylactus, Magister sentent. D. Thomas Menf. Magnus Albertus, Guilielmus, Agidius, & alij quos referunt Conimbricenses lib. 2. de celo, cap. 5. quæst. 1. Ab his omnibus sponte sua discessit Caietanus negans dari hoc celum ad illa Pauli verba 2. ad Corinth. Raptum tantum modò hominem usque ad tertium celum. Celum istud esse omnium perfectissimum suadet ex supremo loco quem obtinet, ex nimia claritate, qua pollet, ex fine in quem destinatur, videlicet ut sit proprium Christi domicilium, beatorum receptaculum, Theatrum, quo gloria Dei beatis omnibus præsentetur, & diuina essentia clarè visa frui liceat. Huiusmodi celum immobile esse testantur omnes, est enim maxima perfectio motu absoluti, sapientique beatorum statui, qui ex sua conditione ab omni mutatione liberi est, & æternus. Rogabis si celum Emphyreum tam eximia luce præditum est, cur à nobis non videatur. Omnis variis solutionibus, quas adducit Ricardus in 2. distinct. 2. quæst. 2. tertio principio, respondeo celum interius esse eximia luce perfusum, ex parte verò exteriori, & inferiori, quæ tetram respicit, non lucere, neque ad nos lucem iaculari, quod ex ea non sit diaphanum, sed opacum, quasi velo amictum quemadmodum in fabrica tabernaculi tertia pars, quæ Sancta Sanctorum dicebatur velo quoddam occultabatur, ne inspiceretur, ut exponit D. Thom. 1. 2. quæst. 12. art. 4. Celum hoc Ethnicis Philosophis ignotum fuit, neque de illo ratione naturali à prioribus, aut à posteriori potest aliquid demonstrari, quid verò de reliquis celis senserit antiquitas, & quid conuincat ratio tractabo paucis.

Sensere nonnulli ex antiquis apud Conimbricenses supra articulo 1. vnam tantum esse sphaeram celestem, in qua stellæ fixæ eandem semper retinent positionem: planetæ verò alij aliis altiores ex vna parte ad aliam instar piscium in mari transmearent. Subscribant hodie huic sententiæ omnes, qui celum fluidum esse propugnant. Pater Hurtadus disputatione 2. sectione 1. eidem adheret, etiam si solidos esse defendat. Alij tres globos constituerunt, stellarum, Solis, & Lunæ. Quidam verò octo statuiebant, stellarum vnum, quod Aplanes, & firmamentum dicit solet, & septem alios quibus totidem insiderent Planetæ: primo Luna, secundo Mercurius, tertio Venus, quarto Sol, quinto Mars, sexto Iupiter, septimo Saturnus. Sententiam hanc tenere omnes Ægyptij, & Chaldaei, ut videre est apud Conimbricenses supra. Statutus autem est hic octonarius numerus propter distinctos motus, qui in Planetis, & in stellis fixis cernuntur. Mouentur enim Planetæ nullo inter se, neque cum stellis ordine seruat, modò enim Planetæ inter se congregiuntur, & viciniore sunt, modò dissociantur, & sunt valde distantes, modò sub hac firmamenti constellatione, modò sub illa nobis apparent.

Ex quo antiqui intulere distinctis motibus distinctos exerceri Planetas, & distinctis orbibus vehi, & propter eandem rationem distinctum orbem esse assignandum stellis inerrantibus, siquidem nulli Planetæ sunt affixæ, neque in aliqua distantia semper eadem illi correspondent, & inter se semper eandem positionis proportionem obseruant.

Stabilito iam octonario orbium celestium numero temporum progressu obseruasse Astronomos fertur celum stellarum ab Occidente in Orientem motu reuerti, toto motu ab Oriente in Occidentem, quare cum duo motus non possint eidem corpori per se competere, aliud inuentum est celum superius celo stellato, quod proprio motu celos omnes raperet, cui adscriberetur alter motus, ille videlicet, quo ab Oriente in Occidentem celestia corpora progrediuntur. Post superiores Astronomos, quibus innotuit duplex celorum motus, accessere alij in quibus Alphonsus Hispaniarum Rex, qui tertium alium motum in firmamento animaduertit, quem trepidationis motum, siue accessus, & recessus appellant, quia ex vi illius iam ad hunc polum, iam ad illud corpora celestia deflectunt. Cū verò duplex motus non posset eidem corpori attribui, neque eidem mobili conuenire, necessum fuit aliud celum institui, cuius proprius esset hic trepidationis motus, quo raperet reliquos inferiores orbes, & primum mobile diceretur.